



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs  
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Disp. XIII. De missione divinarum personarum,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](#)

cuilibet personæ, sive dissimilitudinem illarum à creaturis: sic ex utroque capite Patri competit potentia, cum quia est principium omnium processionum, tum etiam quia est dissimilis patribus creatis, veritate debilibus: Filio sapientia, cum ratione originis, cum sit Verbum & terminus cognitionis infinita Patris, tum dissimilitudine a filiis creatis, ut plurimum juventute insipientibus: Bonitas Spiritus Sancto, tum origine, quia est auctor bonitatis increatæ, tum dissimilitudine ab amore creato, sæpe malo, & inordinato.

Tandem secundum ultimam confiderationem valet attributio Pauli dicentis, omnia ex ipso, per ipsum, & in ipso esse. Omnia enim sunt ex Patre, tanquam ex efficiente per potentiam; per Filium tanquam per exemplar & principium de principio creaturarum; & in Spiritu Sancto, qui omnia continet non quidem ratione idearum (nam verbo proprium est, sic continere omnia) sed ratione bonitatis Dei, quā rēs conservantur, & ad illum ut finem ultimum ordinatur.

A 1. egregie obseruat, quod in missione creature  
quatuor repertioruntur; unum ex parte invenientis,  
scilicet authoritas; alterum ex parte missi, scilicet  
separatio ejus a mitente; tertium ex parte  
termini a quo, scilicet loci mutationis; quartum ex  
parte termini ad quem, scilicet effectus aliquis,  
ad quem producendū persona missa destinatur.  
Et subdit, primum & ultimum, quia perfectionis  
sunt, convenire per sonis divinis. licet enim  
in Divinis non datur authoritas per modum imperij,  
bene tamen per modum originis; secundum  
verò & tertium, quia imperfectionem di-  
cunt, à missione divinarum personarum relegati.  
Et articulo praecedenti in responsive ad j,  
docet, quod licet Angeli superiores non mutantur,  
quia non possunt mitti sine locum mutationis,  
quæ illis non convenit, bene tanten personæ di-  
vinæ, nam illæ non mutant locum, cùm ad nos  
mittuntur.

Hæc sunt certa & indubitata apud Theologos,  
Sed dissidium ac disputatio est inter illos, pro  
quo supponat divina missio; an pro ipsa produc-  
tione effectus, quæ temporalis est, an vero pro  
processione & origine persona divina, quæ ab  
æterno illi competit? Quidam missiōnem in solo  
temporali effectu collo cantat: alij in sola origine,  
per quam personæ missæ communicatur poten-  
tia & voluntas producenti effectum temporale  
ratione cuius fiat novo modo præsens creaturæ.

## DISPV TATIO XIII.

*DE MISSIONE DIVINARVM  
personarum.*

*Ad questionem 43. D. Thomae.*

**H**ec disputatio se habet per modum cor-  
ronidis ad totum istum tractatum: ultima enim consideratio comparativa personarum divinarum est in ordine ad creaturas, secundum quod dicuntur ad illas mitti, vel ad eas venire: unde de missione divinarum personarum ultimo loco cum Sancto Dottore hic agendum est.

## §. I.

## *Vera sententia statuitur.*

**D**ico tamen, nec solam processionem xer-  
nam, nec solum effectum temporalem, effi-  
missionem, sed illam pro utroque supponere, &  
utrumq; importare; in resto quidem ipsam per-  
sonarum originem, in obliquo vero novum effi-  
ctum in creatura productum.

D Probatur primò ex D. Thoma hic art. 2. ad p.  
ubi ait: *Misso includit processionem aeternam, & ali-  
quid addit, scilicet temporalem effectum; subindeque  
illud inter missionem & generationem ponit di-  
scrimen, quod missio importat habituinem ad  
principium, in ordine ad terminum tempora-  
lem, generatio autem in ordine ad terminum  
aeternum.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*Quid sit missio & quibus personis  
conveniat?*

§. I.

*Premittuntur quae apud omnes sunt certa, & referuntur sententiae.*

**M**itto in communii significat processionem seu egressionem ab aliquo cum destinacione ad aliquem effectum, vel ad aliquem locum de novo: unde ad illam quatuor concurrunt, scilicet persona mittens, persona missa, terminus ad quem, & egressio seu processio ejus quimittitur. Potest autem, ut docet Divus Thomas hic art. 1. tripliciter fieri: vel per imperium, sicut dominus mittit servum in villam: vel per consilium, sicut medicus dicitur mittere Regem ad balnea: vel per originem, sicut flos emititur ab arborē, radius à sole, & rivis à fonte. Ex quo patet missionem reperiiri in Divinis, seclusis tamen imperfectionibus, quia in creaturarum missione contingunt, verē enim una persona ab alia egreditur (non per imperium, aut consilium, sed per originem) sitque speciali modo præsumt creaturā, non per locutionem, sed per novi effectus productionem. Unde Divus Thomas in 1. ad Annibald, dist. 15. quæst. unicā art.

importat originem à persona mittente. Ergo non  
est solùm operatio Dei externa & temporalis, sed  
et novus modus essendi in creatura, sed origi-  
nem personæ missæ, ut connotans operationem  
externam & temporalem. Consequenter pater,  
probatur Antecedens. Missio personæ divina  
essentialiter importat exitum à persona mittente.  
E Sed hic exitus nequit esse alius, quam origi-  
nem personæ ab illa: Ergo essentialiter importat talen-  
tum originem. Major est certa, missio siquidem es-  
sentialiter dicit egressionem ex eo à quo fit. Mi-  
nor vero probatur. Duplex tantum est regnum o-  
mittente: una moralis, consitens vel in impe-  
rio, ratione cuius inferiores à superiori sive do-  
mino, & Angeli à Deo dicuntur miti & egredi-  
vel in precibus, aut consilio, sive suatione, rati-  
one quorū in humanis homo dicitur miti ab aliis  
homine ad aliquod munus, sive officium ex-  
cendum: altera est physica, consitens in natura-  
li origine, ratione cuius radius v.g. dicitur emis-  
ti

ad illuminandum: Sed egressio quam efficiat importat divina Personæ missio, neque esse moralis; utpote quia abstrahi non posset ab imperfectione, vel in persona missa, vel in persona misericordie, ut constat: Ergo debet esse physica, consistens in origine naturali.

Probatur tertio: Si missio non supponeret pro origine seu exitu àmittente, prout connotatur effectum in creatura productum, aut producendum, sed tantum pro ipsa productione effectum, non est ratio, cui Pater non dicaretur mittenti, cum producat effectum temporalem quem connotat missio aliarum personarum, scilicet operam: opera enim ad extra individua sunt, & non Trinitati communia, ut communiter docent Theologi, & D. Augustinus egregio exemplo demonstrat: *Citharam, inquit, respice; ut musicum melos suos dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, cithara, & chorda, & tamen unus sonus auditur. Ars una, manus tangit, chorda resonat; nec ars, nec unus sonus redditum.* Trias operantur, sed sola chorus effectus: *cum corda autem pariter ars & manus operantur. Sic non Pater, nec Spiritus Sanctus suscepimus carnem, & tamen cum Filio pariter operantur.*

## §. III.

*Solutio objectio ex autoritate D. Thomæ scripta.*

Quia hanc conclusionem proponi potest argumentum ex autoritate Divi Thomæ de sursum. Nam S. Doctor in 1. dist. 1. §. quart. 1. art. 2. referens opinionem, qua dicebat missio unius Divinis confitente, non in aliquo relatione, sed in aliquo efficientiali, subdit: *Ei hoc mihi remittitur, considerata virtute vocabuli: missio eveniens, secundum rationem sui nominis,* non dicit existere aliquo secundum principium, a quo missio esse habeatur. *Et solum in ordine ad effectum missionis ponitur auctoritate alicuius ad missum.* Et ibidem ad Annibalem quæf. unicæ art. 2. Alij, inquit dicunt, quod missio significat principalius quod efficiens est, & hoc non verum: Atqui effectus de novo producitur in creatura, est id quod in missione est efficiens, utpote a rota Trinitatis; non vero origo, quia est quid personale: Ergo in doctrina D. Thomæ, vel missio persona divina constituit solum in novo effectu, seu in novomodo efficiens in creatura ad quam terminatur, juxta primum locum; vel faltem, juxta secundum, principalius constituit in illo effectu; subindeque non connotato solum ipsum importat.

Pro solutione hujus objectionis, nota missio non persona divina duobus modis posse considerari; primò secundum denominationem prædictam, quia habet ex termino ad quem, secundò quoad entitatem suam. Si primo modo consideratur, ut eam consideraverit Divus Thomas locis in objectione citatis, verum est quod non confitetur, saltem principaliter, in aliquo notionali, quale est origo five processio exteriora personæ missiæ; sed in aliquo efficientiali, quod est effectus de novo productus in creatura, utpote cum ab ipsa origine exteriora, desumatur missione denominatio. Cum hoc tamen stat, quod si loquamus de eadem missione non quoad denominatio-

A nem præcisè, sed quoad entitatem denominatam, ipsa magis principaliter importet originem, & solum de connotato novum & speciale efficiens ad quem terminatur in creatura.

## §. IV.

*Corollaria notaru digna.*

**E**X dictis colliges primò, missionem divinarum personarum sic posse definiri, aut describi: *Missio est processio originis àmittente, cum novo modo efficiendi in alio.*

Colliges secundò, non posse unam personam seipsum mittere, licet possit seipsum dare: quia sicut nulla persona procedit à se, ita nec mittitur a se.

Colliges tertio, Patrem aeternum à nullo mitti, eti spipsum det, aut veniat cum aliis personis, ad inhabitandum in anima per gratiam sanctificata. Pater etiam hoc corollarium: quia persona Patri a nullo procedit, cum sit immutabilis, & totius divinitatis fontale principium. Addo quod, sicut omne mobile, reduci debet ad aliquid primum movens immobile ne fiat processus in infinitum, sic & omne missum ad aliquid mittens non missibile, ut egregie obseruat Divus Thomas primo ad Annibaldum ubi supra art. 3. Ergo cum in Divinis Filius mittat Spiritum Sanctum, & ipse à Patre mittatur, Pater a nullo mitti potest. Unde Augustinus libro contra Sermonem Arrianorum cap. 4. *Solis Pater non legitur missus: quoniam solus non habet authorem à quo fit gentus, vel à quo procedat.*

Colliges quartò, Filium à Patre mitti, quia ab illo exit per aeternam generationem: unde Christus Joan 8. *Ego ex Deo processi, et reni in mundum.* Quæ verba expendens Cyrilus art. 1. art. 10. cap. 1. *missus* significat principalius quod efficiens est, & hoc non verum: Atqui effectus de novo producitur in creatura, est id quod in missione est efficiens, utpote a rota Trinitatis; non vero origo, quia est quid personale: Ergo in doctrina D. Thomæ, vel missio persona divina constituit solum in novo effectu, seu in novomodo efficiens in creatura ad quam terminatur, juxta primum locum; vel faltem, juxta secundum, principalius constituit in illo effectu; subindeque non connotato solum ipsum importat.

**D**icitur: *Si ergo missus designatur ut principium persona que mittitur, sic non qualibet persona mittit, sed solum illa cui convenit esse principium illius personæ;* & sic Filius mittitur tantum à Patre, Spiritus autem Sanctus à Patre & Filio. *Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quam attenditur missio, si tota Trinitas mittit personam missam.*

Colliges ultimò, missionem Filij, & missiōnem Spiritus Sancti, ex parte effectuum quos connotant, in hoc potissimum differre, quod missio Verbi, cuius processio per intellectum est, atten-

123

attenditur præcipue secundum illa dona quæ ad intellectum pertinent, ut donum intellectus, scientia, sapientia, & consilij: missio vero Spiritus Sancti, per amorem procedentis, ordinatur potissimum ad communicanda alia dona, quæ ad voluntatem spectant, ut donum fortitudinis, pietatis, & timoris. Ita Divus Thomas in primo ad Anselmum dist. 15. quæst. unicæ art. 5. Quædam, inquit, habent similitudinem cum proprio Filii, in quantum procedit ut Verbum, sicut illa quæ pertinent ad cognitionem, ut donum sapientie & scientie; & in huiusmodi donis dicitur mitti Filius. Quædam vero dona, habent similitudinem cum proprio Spiritu Sancti, qui procedit ut amor, sicut illa quæ pertinent ad affectum, ut charitas; & in huiusmodi donis dicitur pro priè mitti Spiritus Sanctus, quamvis omnia dona, ex hoc ipso quod dona sunt, ad Spiritum Sanctum pertineant, qui est primum donum. Et hic art. 5. ad 3. sic ait: He duas missiones communicant in radice gratiae, sed distinguuntur in effectibus gratiae, qui sunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus.

## ARTICULUS II.

*An missio invisibilis fiat solum secundum dona gratiae sanctificantis?*

13. **M**issio divinarum personarum, ex parte effectuum temporalium quos connotat, invisibilem & invisibilem dividit solet. Missio visibilis est illa, quæ fit in aliquo effectu sensibili apparente, & representante personam missam: sive creatura illa visibilis in uitatem personæ assumatur, ut in Incarnatione factum est: sive in illa solum ut in signo sanctificationis, quam facit persona missa, manifestetur; ut quando Spiritus Sanctus in specie ignis super Apostolos in die Pentecostes apparuit. Missio autem invisibilis est illa quæ fit in aliquo effectu spirituali & invisibili, qualis est illa quæ fit in justificatione peccatoris per donum gratiae invisibilis; de qua Job cap. 9. dicitur: Si venerit ad me, non videbo eum: si abiurit, non intelligam. In missione visibili mititur una persona, & manifestatur sine alia: in visibili vero nunquam una sola persona mititur, sed duo procedentes; & Pater, licet non mititur, venit tamen & communica se cum aliis ipsi animæ, secundum illud Christi Joan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliger eum, & ad eum veniens, & mansio apud eum faciemus. Denique missio visibilis fieri potest per quolibet rem sensibilem, ordinis etiam naturalis; potest enim Deus assumere ad unionem hypostaticam quolibet naturam creatam, & uti quolibet signo sensibili ad suam presentiam in creatura rationali manifestandam: missio vero invisibilis non sit nisi ratione aliquius doni supernaturalis, in anima producti. Porro quia inter dona supernaturalia, quadam cum gratia sanctificante connexa sunt, ut charitas; alia vero cum ea connexionem non habent, sicut fides informis, spes, gratia gratis data, auxilia ad justificationem remote disponentia; inquirunt Theologi, an missio invisibilis fiat solum secundum dona primi generis?

14. Partem negativam tenent quidam, relati à Suarez libro 12. de Trinitate, capite 5. quo se-

A quibus est Arriaga disput. 55. sect. 4. disto. ubi ait posse absolute dici missionem invisibillem, etiam non fiat per dona gratia sanctificantis, sed per alia dona supernaturalia; ut sunt inspirationes, auxilia, & habitus supernaturales a charitate distincti. Sententia tamen affirmativa communis est apud Theologos, & amque expressè docet Angelicus Doctor in 1. dist. 14. quæst. 2. art. 2. & hic artic. 3. Unde

S. I.

*Conclusio affirmativa statuitur.*

**D**ico igitur: Missionem invisibilis divinarum personarum, nondici nisi ratione gratiae & charitatis.

Probatum primò ratione Divi Thomæ hic art. 3. Missio invisibilis divinarum personarum non fit nisi cum novo & invisibili modo existendi in anima rationali: Atqui nec per solam fidem, nec per spem, nec per gratias gratis data, sed per solam charitatem & gratiam iustificantem, Deus speciali & novo modo in anima rationali existit. Ergo missio invisibilis divinarum personarum, non fit nisi ratione gratiae & charitatis. Major patet ex definitione missione ipsa exposita. Minor vero probatur: Nam ibidem docet Divus Thomas, modus ille specialis quo Deus existit in anima, consistit in eo quod illi praesens est, ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante (cognitione dilectionis & amore procedentibus ex perfectissima amicitia, ut articulo sequenti declarabimus. Sed Deus non est praesens hoc modo anima rationali, nisi per gratiam & charitatem, per quamlibet fit perfecta hominis cum Deo amicitia, ut docet idem Angelicus Praceptor 2. 2. quæst. 3. art. 1. Ergo &c.

Confirmatur primò: Cum fide, spe, caritate que donis gratuitis, stare potest peccati reatum. Sed specialis illa Dei praesentia cum peccato incompatibilis est; ut enim dicitur Proverb. 15. Longe est Dominus ab impys: Ergo specialis Dei praesentia non habetur per fidem, aut spem, vel alia dona gratuita, sed solum per gratiam & charitatem.

Confirmatur secundò: Spiritus Sanctus ad creaturam rationalem mititur, ut in ea sicut in templo suo inhabet; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 6. Nescis quia templum Dei es tu, & Spiritus Sanctus habitat in te? At nemo Dei templum efficitur, nisi per gratiam & charitatem: Ergo secundum hoc tantum donum missio invisibilis Spiritus Sancti attenditur. Unde Augustinus libro 3. de Trinitate cap. 4. Spiritus Sanctus procedit temporaliter ad sanctificantem creaturam. Ex quibus verbis Angelicus Doctor hic art. 3. in argumento sed contra sic concludit: Cum sanctificatio creatura non sit nisi per gratiam gratum facientem, sequitur quod missio divina persona non sit nisi per gratiam gratum facta.

Confirmatur tertio: Per invisibilis divinarum personarum missionem, Deus est in homine, & homo in Deo; unde, ut supra annotavimus, per illam fit in nobis imago quædam mirabilis illius circummissionis, per quam una persona divina residet in alia; proprie quod Cant. divinæ

divine illæ emisiones Paradisi appellantur: Sed Deus non est in homine, nec homo in Deo, nisi per charitatem, ut patet ex illo 1. Joan. 4. *charitatis est, & qui manet in charitate, in Deo manet.* & Deus meus: Ergo idem quod prius.

Addo quod in missione invisibili nobis dampno divina, ut anima illas in le habeat, diligere perficiatur, ut docet Divus Thomas hic art. 3. Sed habere potestatem fruendi personam diuinam, provenientem solum à gratia & charitate, ut ait idem S. Doctor ibidem, & patet ex eo quod finis pertinet ad amorem, quem aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis, ut idem Praeposuit Angelicus docet 1. 2. quæst. 11. art. 1. Ergo missio invisibilis divinaturum personarum non fit nisi per gratiam & charitatem.

Præterea, ut idem S. Doct. dicitur loco citato excentris, missiones divinarum personarum ad hoc præcipue ordinantur, ut reducant creaturam rationalem in Deum, ut in finem ultimum, à quo per peccatum avertitur & recedit: sed regulus creature rationalis in Deum, ut in finem ultimum, non sit nisi per gratiam & charitatem, quæ hominem Deo ut ultimo fini conponit: Ergo missio invisibilis divinaturum personarum sicut solum ratione gratiae & charitatis.

## §. II.

## Solvantur obiecções.

**O**biec̄ies primò: In Incarnatione fit quædam specialis missio Verbi Divini ad humanitatem assumptam, & Spiritū Sancti ad B. Virginem, juxta illud Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te: Sed duplex hæc missio non fit secundum dona gratie sanctificantis, aut auctem ab illis efficiuntur non dependere; possent enim fieri Incarnatione sine ullo dono gratie collato naturæ aliamque, ut si Deus assumeret naturam irrationali, que donorum gratiae incapax est, vel naturam rationalem omnibus donis gratiae spoliari, aut si ex matre peccatrice nascetur: Ergo divinaturum personarum missio à gratia sanctificante & donis illius non dependet.*

**C**onfirmatur: In Eucharistia, facta consecratione, si missio per sonum Fili, sicutdem ibi existit de novo corpus Christi, ex vi conversionis, & persona Verbi per concomitantiam: Sed hæc missio non est secundum infusionem gratiae sanctificantis in animam nostram quia ibi non est anima personaliter efficietur, sed solum substantia panis, que convertitur in corpus Christi, & accidentia que remaneantur etiam, quia ut ait D. Thomas licet. 6 ad 4. gratia non est in Sacramentis ut insubstantia, sed ut in instrumento: Ergo idem quod prius.

**C**onfirmatur amplius: Si quis justificaretur per visionem beatificam, sine habitu gratiae haberet missionem invisibilem Spiritū Sancti factam alibi, quia speciali modo esset in anima per justificationem & beatitudinem: Ergo sine donis gratiae sanctificantis fieri potest invisibilis missio divinaturum personarum.

**A**d obiec̄ionem respondeo primò, missione Verbi Divini, que fit in Incarnatione, non esse invisibilem, de qua solum hic agimus, sed visibilem, ratione naturæ assumptæ. Secundò dico, in Incarnatione communicari naturæ assumptæ per gratiam unionis, que perfectiori modo sanctificans, quam gratia habitualis, totaq; ejus per-

fectionem & sanctitatem eminentissi modo continet: unde etiam si natura rationalis à Verbo assumpta, omni dono accidentaliter careret, per ipsam tamen substantialiter personæ sanctitatem perfectissimo modo sanctificaretur. Si autem Verbum naturam irrationalē, & donorum gratiae incapacem assumeret, non esset runc vere & propriè missio, sed solum physica communicatio sui. Licet enim missio non consistat in moralie progressione ab alio, per imperium, aut suasionem; requirit tamen ut is qui mittitur, modo intellectuali, & ut persona, exeat, & procedat ad illum cui mittitur: in illo autem casu Verbum Divinum modo intellectuali ad illam naturam non procederet, nec illi in ratione personæ, sed solum in ratione suppositi, uniretur. Vel etiam dici potest quod illa assumptionis naturæ irrationalis esset missio; quia licet non sanctificaret illam naturam, eo quod sanctitatis incapax sit, esset tamen de se illa a Deo ordinabilis ad sanctificandum alios; quod sufficit ad rationem missionis, ut patet in apparitione Spiritus Sancti in linguis igneis, quæ fuit vera missio, quia ordinabatur ad sanctificandum Apostolos.

Ad illud quod de B. Virgine subjungitur, dicendum est, Spiritum Sanctum ad illam supervenisse, quando concepit Dei Filium, quia tunc novum augmentum gratiae recepit: missio autem Spiritus Sancti non solum sic quando primò infunditur gratia, sed etiam quando novum ejus augmentum acquiritur, ut patet ex infra dicendis. Si autem de potentia absoluta esset divina maternitas sine sanctitate, tunc non superveniret in eam matrem Spiritus Sanctus, per modum missionis simpliciter, quia non habaret in ea, sed esset solum missio secundum quid, quatenus Spiritus Sanctus efficeret tale donum maternitatis simul cum aliis personis divinis. Sicut etiam fit quædam missio improperia & secundum quid, cum fides informis, vel auxilia ad gratiam remote disponentia infunduntur.

Ad primam confirmationem respondet, quod de Sacramento Eucharistia possumus loqui, vel quoad sumptionem, vel quoad consecrationem. Si loquamur de sumptione, nulla est difficultas, quia in illa datur infusio, vel augmentum gratiae, si vero de existentia corporis Christi in Sacramento, que fit per conversionem panis in ipsum, si in sermo, duplex adhiberi potest solutione. Prima est, quod illa non est missio specialis personæ filii ad sacramentum: sed est missio ipsius Christi in hominim, seu corporis ejus, ut ibi existat. Secunda est, dato quod illa conversio & transubstantiatio sit missio personæ, pertinet tamen ad missiōnem visibilēm reductivē, quatenus corpus Christi hæc existit sub speciebus sacramentalibus, quæ visibles & leniles sunt.

Ad secundam confirmationem dicendum est, quod ille qui justificaretur per visionem beatificam, sine habitu gratiae, haberet missionem invisibilem Spiritū Sancti factam alibi, quia speciali modo esset in anima per justificationem & beatitudinem: Ergo sine donis gratiae sanctificantis fieri potest invisibilis missio divinaturum personarum.

Ad obiec̄ionem respondeo primò, missione Verbi Divini, que fit in Incarnatione, non esse invisibilem, de qua solum hic agimus, sed visibilem, ratione naturæ assumptæ. Secundò dico, in Incarnatione communicari naturæ assumptæ per gratiam unionis, que perfectiori modo sanctificans, quam gratia habitualis, totaq; ejus per-

gratia sanctificanti, & totam ejus sanctitatem A  
& perfectionem eminentissimo modo conti-  
net.

Objicies secundò : Personæ divinæ habent  
27 specialem præsentiam in creatura rationali, in-  
dependenter à gratia & charitate : Ergo missio  
invisiibilis illarum sit non solum per gratiam &  
charitatem, sed etiam per alia dona ab illis sepa-  
rabilia. Consequens patet ex suprà dictis, An-  
tecedens probatur, Spiritus Sanctus sit speciali  
modo præsens animæ, cum per auxilium gratiæ  
illam movet ad actum attritionis supernaturalis,  
quam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impul-  
sum, docet Sacrolatæ Synodus Tridentina  
scil. i 4. cap. 4. Item Summo Pontifici, vel Conci-  
lio generali, res fidei definitibus, datut specia-  
lis quædam Spiritus Sancti assistentia & præsen-  
tia, ne in hujusmodi definitionibus errare pos-  
sint, ut docetur in Tractatu de fide ; & ramen-  
tunc non sit nova gratiæ & charitatis infusio.  
Denique per fidem, & per dilectionem Dei na-  
turalem, Deus fit præsens animæ, ut cognitum in  
cognoscente, & amatum in amante : Sed hanc  
solum præsentiam habent personæ divinae in  
animæ per missionem invisiibilem, ut docet D. Thomas h[ic] art. 3. Ergo independenter à gratia  
& charitate personæ divinæ specialem præsen-  
tiæ, & existentiam habent in nobis.

28 Respondeo quod licet personæ divinæ, in-  
dependenter à gratia & charitate, specialem  
quandam præsentiam in creatura rationali ha-  
bent possunt, non tamen illam, quæ ad veram &  
propriè dictam missionem requiritur. Nam vera  
& propriè dicta missio requirit præsentiam  
specialem, quæ sit per modum mansionis & in-  
habitationis in anima, ut patet ex illo Joan. 14.  
*Si quis diligit me, diligit et Pater meo, et ad eum ve-  
nient, et mansio apud eum faciemus: hæc autem  
præsencia & inhabitatio non sit nisi per gratiam  
sanctificantem: per auxilium enim quod Spiritus  
Sanctus animam ad actum attritionis movet,  
non dum illam inhabitat, sed tantum ad osculum  
cordis pulsat, juxta illud Apocal. 3. *Ecclesiæ ad o-  
stium, et pulso: unde Tridentinum loco citato lo-  
quens de contritione illa impietas, quæ attri-  
tio appellatur, dicit illam esse Spiritus San-  
cti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis,  
sed tantum moventis.* Idem dicendum est de  
speciali illa Spiritus Sancti assistentia, quæ datur  
Summo Pontifici, aut Conclilio generali, ad res  
fidei definitas: per illam enim Spiritus Sanctus  
non inhabitat animam, sed tantum intellectum  
movet, instruit, ac ditigat, ne in veritate cogni-  
tione aberret: unde talis præsencia specialem  
missionem non requirit, sed pertinet ad genera-  
lem Dei præsentiam, quæ Deus est in rebus per  
operationem.*

Cum autem aliquis fidei informis & dile-  
ctionis naturalis actus elicit, habet quidem Deū  
præsentem in anima, ut cognitum in cognos-  
cente, & amatum in amante, sed non cognitione &  
amore ex persona amicitia procedentibus, de  
quibus solum in præsento loquitur D. Thomas,  
dum docet per missionem invisiibilem, Deum  
hieri præsentem animæ, ut cognitum in cognos-  
cente, & amatum in amante, ut infra patet.  
Addo quod, ad veram & propriè dictam mis-  
sionem, requiritur quod Deus in anima tanquam  
in templo suo inhabet, ut patet ex suprà dictis:  
per fidem autem informem, aut dilectionem  
naturalem, Deus non habita in anima tanquam

in templo, ut docet Augustinus Epist. 57. obicit  
Illi ad templum Dei non perirent, qui cognoscent  
Deum, non sicut Deum glorificant.

## §. III.

## Corollarium notatu dignum.

**E**x dictis colliges, triplicem dati in homine  
invisibilem divinorum personarum missio.  
nem. Prima sit in Baptismo, vel in prima peca-  
toris justificatione: tunc enim personæ divine  
incipiunt speciali modo præsentes esse in ani-  
ma, per gratiam mundata & sanctificata, & in ei-  
us in templo suo habitare.

Secunda sit quando homo justificatus do-  
vum gratiæ augmentum acquirit, seu cum de  
novo proficit in gratia; sive intensive, perfectio  
resactus charitatis elicendo; sive extensiva,  
dum ad novum aliquid munus ait statum ex-  
cellenter assumitur, putat cum in Sacerdotem  
vel Episcopum consecratur, vel cum omnibus  
reuniat, & religiosus efficitur, ut docet D. Thom-  
as h[ic] art. 6. ad 2. tunc enim Deus in illo, tan-  
quam in templo suo, modo aliquo specie invisi-  
bile incipit habitare, ut eleganter declara D. Ber-  
nardus Serm. 6. de Dedicatione, in quo fratres in  
alloquens, sic ait: *Domestica nobis celebraz, dia-  
gio domus nostra; 3 magis autem domestica nostra regi-  
rum dedicatio: nostra si quidem illa afferat, nostra  
benedictio, nostra consecratio fuit, que per manu Sanc-  
torum celebrata Pontificum, etiam hodie anniversario  
rediu votivis laudibus ad memoriam reveratur.*

Tertia denique missio est illa quæ sit in Beat-  
tum in ipso beatitudinis principio, in quo Deus  
incipit esse novo modo in anima, per unicon  
existentiæ lux, in ratione speciei intelligibilis, tan-  
quam post beatitudinem adeptam, per rati-  
onis charismata & dona gratiæ, seu novas revela-  
tiones quam accipit Beatus extra verbum, in qua-  
bus etiam communicatur Deus novo modo,  
secundum manifestationem aliquorum ef-  
fectuum, qui ad ipsum statum beatitudinis ordinan-  
turi etiam docet D. Thomas h[ic] art. 6. in  
respondit, ad 3. ubi ait: *Ad Beatos si facta missio invisi-  
bile, in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem  
ad eos sit missio invisiibilis, non secundum manifesta-  
tionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria tu men-  
tior de novo.*

## ARTICULUS III.

*Viximus in missione invisiibili, personæ divinae  
ratione gratiæ, sicut specialiter, etiam  
secundum substantiam suam, præ-  
sens in anima justi?*

## §. I.

*Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuit.*

**S**upponimus ut certum, quod cum mirantur  
personæ divinae, non solum dona crea gratiæ,  
sed etiam ipsæ personæ divinae & incerte-  
nobis dantur, ut expressè docent Magister for-  
tentiarum in 1. distinctione 14. & D. Thomas  
ibidem: Ratiocine id suaderet. Tum quia Scriptura  
dicit Spiritum Sanctum esse in nobis ut in  
templo suo; quod de dominis gratiæ non posse  
verificari, utpote cum templum non consecratur  
deus.

dons creatis, sed ipsis personis divinis; Tum etiam quia eadem Scriptura expressè distinguit inter hoc quod est dari dona creata gratiæ, & distinctam per donam increatam Spiritus Sancti, cum dicitur ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est gratiæ nostræ per Spiritum Sanctum, qui datum est nobis;* fructu autem distinguere Scriptura inter charitatem diffusam, & Spiritum Sanctum datus, cum si dari Spiritum Sanctum, non esset aliud quam dari dona gratiæ, seu charitate diffundi; Ergo in missione invisibili, non solum dona creata gratiæ, sed etiam ipsa persona divina & increata nobis datur. Unde Augustinus tert. 13 de tempore: *Affuit Spiritus Sanctus in hac die fiducia, non solum per gratiam visitationis & operatio- nis, sed per ipsam præsentiam Majestatis;* atque in vase unigeniti balsami, sed ipsa substantia Sacri fluxit augustin. Et Bernardus tert. 3. de verbis Domin. *Magna Dei misericordia, quia donum dat equa- lificat;* nam donum eius Spiritus Sanctus est. *Vergo amans Deum, habitat in te Deus.* Eandem veritatem Secunda, Iherc Gentilis, agnoscit videatur, dum script Epist. 7.4. *Deus ad homines venit, in modo quod prius ejus in homines venit, nulla sine Deo mens bona est.*

Certum est igitur, in missione invisibili non solum dari dona creata gratiæ, sed etiam ipsas operationes divinas, ac proinde illas fieri intime præsentes animæ justi. Sed difficultas est, & gratia controversia, an per longæ divinæ ratione gratiæ, sunt specialiter, etiam secundum substantiam suam, præsentes in anima justi.

Ratio dubitandi est, quia duo tantum apparet modi, quibus per gratiam sanctificantem personæ divinæ dici possunt præsentes animæ, ad quam mittuntur: quorum tamen neuter sufficit ad talen eorum præsentiam, quæ sit simul specialis & substantialis. Ille enim qui convenienti ipsis, quoniam caulant in homine justo donum gratiæ & sanctificationis, licet substantialis sit, non est unus specialis, sed communis omnibus Dei effectibus. Alter vero, quem dicunt cædem perso- nae, in quantum consequenter ad collationem talis doni, cum omnibus ejus proprietati- bus, cognoscitur & amantur ab anima, munere illo prædicta, specialis quidem existit, sed tamen secundum quod distinguit ab alio priori, est idem denominatio exscripta, quæ ex vi sua non requirit substantialiem Dei præsentiam in tua animam justi: licet enim Deus, ratione suæ immensitatis, non existet intra hominem, sed tantum in celo in creatura tamen, à qua intelligetur & amaretur, esset ut cognitione in cognoscente, & amatum in amante. Nec urget quod gratia, & charitas uniant animam aman- tam cum divinis personis cognitione & amatione: quia cum illa unio sit tantum affectiva, quatenus ridelicet amans inclinatur & affectum habet ad personam amatam, non vero affectiva; ex ea colligunt alia præsencia divinarum persona- rum in homine justo, præter objectivam & affectivam, minime vero realis & substantialis. Ea- propter V. quez super à disp. 30. cap. 3. & hinc in explicatione art. 3. Alarcon disp. 9 c. 9. Ruiz disp. 109. sec. 3. ab eodem Alarcon relatus, negant in missione invisibili personas missas fieri secun- dum suam substantiam præsentes in anima ju- sti, prætentia aliquæ speciali, sed tantum com- munis, quam Theologi vocant præsentiam im- mensitatis: adeo ut si per impossibile Deus non esset immensus, Filius & Spiritus Sanctus non forent per gratiam realiter præsentes ani-

mæ illi, ad quam dicuntur mitti.

Oppositum tamen docent omnes Thomistæ, Suarez, Cornelius à lapide, & alii quos referunt Salmanticenses: in mirum personas divinas, quæ dicuntur invisibiliter mitti ad hominem, speciali quoad suam substantiam modo, ita ejus animæ fieri præsentes, ratione gratiæ, ut si per impossibile non essent intra illam per essentialiam, præsen- tiam, & potentiam, existentes tamen in ea se- cundum suam substantiam. Quod explicant ex- emplo missionis visibilis Verbi in carne. Si enim per impossibile Divinum Verbum non esset ra- tione sua immensitatis realiter præsens huma- nitati Christi, ed ipso tamen quod illi hypostati- ce uniretur, fieri illi invincibiliter & substancialiter præsens. Pro hac sententia,

Dico: In missione invisibili divinarum perso- natum, Filius & Spiritus Sanctus, ratione gratiæ sanctificantis, sunt specialiter, etiam secundum substantiam, præsentes in anima justi.

Probatur primò: Personæ Filii & Spiritus Sancti debent in invisibili sui missione esse alio mo- do præsentes animæ justi, quam per immensitatem: Sed nisi specialiter, etiam secundum sub- stantiam suam, sint intra illam, non erunt alio modo ipsi præsentes, quam per immensitatem: Ergo &c. Major est certa: alioquin enim, cum ubicumque pro ducitur aliquis effectus, ibi Deus sit o ipso præsens per immensitatem, quoties- cunque novi effectus producitur fieret in anima justi, toties persona Filii & Spiritus Sancti, indi- visibiliter concurrentes ad eam, dicerentur eo ipso invisibiliter mitti ad animam; quod tamen Vazquez non audet concedere. Minor vero proba- tur. Personas divinas esse alicubi præsentes so- lum per immensitatem, est esse præsentes solum quatenus ibi operantur aliquem effectum; præ- sentia enim immensitatis in operatione funda- tur, ut ostendimus in Tractatu de attributis, a- gendo de attributo immensitatis: Sed nisi spe- cialiter, etiam secundum substantiam suam, sint præsentes animæ ad quam mittuntur invisibiliter, erunt solum intra ipsum, quatenus produ- cunt aliquem effectum, nempe gratiam sanctifi- cationis, ut de le patet: Ergo non erunt alio modo ipsi præsentes, quam per immensitatem.

Probatur secundò: Personas divinas fieri præ- sentes animæ, ut cognitum in cognoscente, & amarum in amante, cognitione & amore proce- dentibus ex perfectissima amicitia, est esse ibi præsentes specialiter, etiam secundum substantiam suam: At in missione invisibili persona di- vine, ratione gratiæ sanctificantis, sunt præsen- tes animæ justi, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, cognitione & amore procedentibus ex perfectissima amicitia: Ergo sunt illi præsentes specialiter, etiam secundum suam substantiam. Minor, quæ est D. Thomæ hinc art. 3. est omnino certa: cum enim gratia & charitas faciant perfectissimam amicitiam inter Deum & hominem, subindeque sint principia cognitionis, & amoris procedentis ex illa ami- citia, constat quod in missione invisibili, persona di- vine ratione gratiæ sanctificantis sunt præ- sentes animæ justi, ut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, cognitione & amore pro- fluentibus ex perfectissima amicitia. Major ve- ro probatur, & explicatur. Cum proprium sit amoris amicitiae perfectissimæ, exigere uni- onem inter amicos, non solum secundum affectum, sive per conformitatem affectivam, sed etiam

## DISPUTATIO DECIMATERTIA

300

etiam quod fieripotest, per inseparabilem præsentiam, & conjunctionem substantiam; si cognitio & amor, quibus divinae personæ dicuntur esse præsentes in, anima ad quam mituntur, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante, procedant, sicut de facto procedunt, ex perfectissima amicitia, non possunt non esse ibi eo ipso præsentes præsentia speciali simul & substanciali.

**34** Confirmatur & magis illustratur hæc ratio ex D. Thoma 1. 2. quæst. 28. art. 1. ad 2. ubi docet, quod amor amicitia triplicem includit unionem: unam quam supponit, & quæ est causa & fundamentum amoris, nempe unionem similitudinis: alteram quam formaliter facit, sive in qua formaliter constitutus amor enim (ut ait Augustinus) est junctura quedam, duo atque copulans, & veluti vitta coccinea, ligans amantes cum amato: tertiam ad quam tendit, & quæ desiderat; & hæc est unio realis quam amans querit habere cum re amata. Unde, ut refert Philosophus 2. Politic. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum, sed quia id non possunt prestatre, uniuntur inter se eo modo quo possunt, per conversationem scilicet colloquia, & alia hujusmodi. Cum ergo amor Dei sit efficacissimus, & possit assequi quod intendit; ex vi gratia & charitatis quam cauferat in anima, ei unitus, non solum objectivè & secundum affectum, sed etiam realiter & substantialiter: ita ut si per impossibile non esset illi prælens, ratione sua immunitatis, adhuc esset in ea specialissimo & realissimo modo; sicut specialeti & realiter est in Beatis per gloriam, & in Humanitate Christi per unionem hypotheticam.

**35** Probatur tertio: In patria ratione charitatis personæ divinae sunt præsentes animæ justi, præsenzia simili speciali & substanciali: Ergo & in via Consequentia est legitima: charitas enim viæ & charitas patriæ, sunt ejusdem speciei atque, quia utrobique tendunt in Deum, ut est summum bonum in se ipso. Antecedens vero est manifestum, cum enim in patria anima per charitatem perfectissime fruatur Deo; scritio autem perfectissima Dei non sit nisi de Deo possesso secundum ejus substantiam, evidens relinquitur, Deum in patria, ratione charitatis, fieri præsentem animæ justi, præsentia speciali simul & substanciali.

Confirmatur: Visio Beatifica exigit præcisæ ratione sui præsentiam Dei, nedum objectivam, sed etiam entitativam & substancialiem cum anima; Ergo & charitas, sive patræ, sive viæ. Antecedens est certum: visio enim Beatifica exigit ratione speciei impressæ, quæ est ejus principium formale, & cuius vicem Deus immediate per suam substantiam supplet, unionem substancialem Dei cum intellectu Beati. Consequentia vero probatur: Nam, ut ait D. Thomas ubi supra in reponit, ad 3. amor est magis unitivus, quam cognitio: Ergo si visio Beatifica, quia est cognitio perfectissima Dei, requirit ex se substancialem Dei præsentiam cum intellectu Beati, à fortiori perfectissimus amor amicitia, quo Deus hominem justum diligit, exiger realem & substancialem ejus præsentiam in anima justi.

**37** Dices primo: Amor quo ex divina charitate diligitur proximus, non minus est perfecta amicitia, quam ille quo ex eadem charitate diligitur Deus; & tamen non requirit intimam, realem, & substancialem præsentiam proximi in volun-

A tate, sive anima, ipsum diligens: Ergo nec illam requirit amor amicitia, quo Deus ex charitate, & gratia diligitur.

Sed negatur: consequentia, & paritas: Ratio discernimini est, quia licet Deus & proximus eodem omnino habitu charitatis diligantur, Deum tamen amatur tanquam objectum primarium, & proximus tanquam secundarium, amatur item perfectissima non exigit necessario conjunctionem substancialem & intimam, nisi cum obiecto primario dilecto.

Dices secundo: Gracia sanctificans, & omnia ipsius dona, sunt speciales effectus Dei: Ergo persona divina non sunt aliter præsentes rano ne donorum illorum in anima justi, quam modo generali, quo Deus ut agens primum est præsens singulis rebus per suam immensitatem.

Sed nego etiam consequentiam, licet enim gratia sanctificans non cum suis donis, consideraret ratione effectus Dei, non dicat aliam præstatiam divinarum personarum in anima, quamnam quæ Deo convenienter, ratione immunitatis & omnibus effectibus Dei communis est: quia item considerari potest insuper secundum quod tribuit animæ cui inhaeret, quod cognoscet & diligit Deum, cognitione & amore ex parte & perfectissima amicitia proventibus, fit inde, ut præter præsentiam Dei substancialem, in ratione primæ & universali causæ, exigit insuper aliam, quæ est in ratione objecti, intime quod non constitutem præsentis potentia.

Alia argumenta, solum probant, cognitionem & amorem, quæ non pertingunt ad rationem amicitia perfectissima, non exigit speciale præsentiam rei cognitæ & amatae in cognoscente & amante: cum quo stat, quod cognitio & amor, quæ sufficiunt ad amicitiam perfectissimam, qualis est cognitio & amor Dei, quæ elicuntur ab anima existente in gratia, necessariò præstatiam illam exigant.

S. II.

Corellaria præcedentia doctrina.

**E**x dictis colligitur primum, Præter tres modos generales, quibus Deus sic in rebus per essentiam, præstatiam, & potentiam, dari possunt species, quibus sit speciali modo præstans: etiam intellectuali, scilicet per gratiam, per gloriam, & per unionem hypotheticam. Tres prius ad attributum immunitatis pertinent; aliòd species ad invisibilis divinarum personarum missiones spectant: etiò ad missionem visibili Verbi Divini, quæ in Incarnatione facta est. Per gratiam Deus est præsens animæ, ut amicus & Iesus, & sicut cognitum in cognoscente & amatum in amante, cognitione & amore ex parte amicitia profueribus, ut ante explicatum est. Per gloriam mentibus Beatorum intrinsecus intelligi, que per modum speciei & formæ intellectus, mirabilis & ineffabilis modo unitur, ut in Trium statu de visione Beatifica ostendimus. Per unum vero hypotheticam Verbum Divinum recipiat humanitatem eiusq; per modum substantiae & personalitatis conjungitur. Unde haec uno seu præstria est omnium nobilissima & perfectissima. In justitiam & Beatis Deus præstans est per dona creata & accidentalia gratia & gloriæ: in Christo per gratiam increasam & substantiam. In aliis sic est, ut ipsi non sint Deus per essentiam, sed tantum per participacionem in

In Christo sic existit, ut ille sit verus Deus, ac naturalis Dei filius. Denique carnis per partes, Christo vero tota se infudit nedium gratiae, sed eum Divinitatis plenitudo; unde Psalmista dicit ergo: Deus unxit illum praeceterius confortans. Et Augustinus Epist. 67. hoc inter Christum & alios Santos, quod inter caput & ceterum membra discrimen observat. Sicut enim licet anima insit realiter & substantialiter singulis corporis partibus, in capite tamen, in quo videntur sensus, modo specialissimo residet: ita quoniam in hominibus justis & sanctis Deus sit per gratiam & charitatem substantialiter praesens in Christo tamen, tanquam in capite, in quo sunt omnia charitatae gratiarum, specialissimo modo inhabitat, secundum illud Apostoli ad Coloss. 2. In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporis. Unde Christi humanitas specialiter in templo Divinitatis appellatur, iuxta illud Christ. Joan. 2. Solvite templum hoc, & pax triduum erit ab illud: quod Christus dicebat de templo corporis sui, ut ibidem subdit Evangelista.

Colligitur secundum Modum quo Deus adest Secundo Pontifici, aut Concilii generalibus, res fideli definitibus, non esse ita nobilem & perfectam, ac illum quo praesens est anima justi. Primus enim est generalis, quo Deus adest ut Regis & Dominus: secundus specialis, quo praesens est tanquam Amicus & Sponsus. Per primum dat sua, per secundum dat seipsum. Primum praebet tantum lumen & sapientiam; altero insinuat charitatem & gratiam. Illo denique Deus solum movere, instruit & dirigit intellectum in veritatis cognitione abberret, isto vero animam mandat, ornat, sanctificat & consecrat, ut in eis non solum tanquam in templo suo, sed etiam in celo residat & inhabitet; sicut egrediebatur Augustinus in Psal. 122. explicans verba illa Psalmista: Ad te levavi oculos meos, quibus habitas in celis. Quid, inquit, est celum Dei? Omnis anima: nam & Apostoli, quoniam in terra factum, celum erant, quia in illis Dominus sedens, per mundum ambulabat.

Colligitur tertio. Animam per peccatum mortale, non solum creatuam gratiae dona, sed ipsas etiam personas divinas & increatas amittere. Nam (atque ostendimus) per missionem invisibilium non solum dona creatuam gratiae, sed ipsas etiam personas divinas & increatas dantur animae, cum illa speciali modo inhabitent, illisque tanquam boni sibi proprio ac peculiari, per actus

A cognitionis & amoris persuatur. Ergo dum homo peccat mortaliter, non solum perdit dona creatae gratiae & charitatis, sed ipsas etiam personas divinas & increatas. Licet enim post peccatum illa sint adhuc presentes animae presentia generali, qua ratione immensitatis Deo convenit; in illa tamen non resident amplius speciali illa, & mirabilis, ac ineffabilis presentia, quam ratione gratiae & charitatis habebant; nec anima tuus habet jus illis persuendi, tanquam bono sibi proprio & peculiari. Unde amissio gratiae est maxima omnium iacturarum quae fieri possunt. In aliis enim solum dona Dei perduntur: in ista ipse met donator amittitur, & tres SS. Trinitatis personae ab anima, in qua ut in templo specialiter habitabant, recesserunt. Hinc egregie D. Bernardus in parvis sermonibus ait: Est Trinitas creatrix, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ex qua cecidit trinitas, memoria, ratio & voluntas. Et est trinitas per quam cecidit, ridecet, suggestio, dilectionis, & consensus est trinitas in quam cecidit, sollicitus impotencia, vacuitas, & immunditia. Denique trinitas per quam resurgit, mirum fides, spes, & charitas.

Addo, quod sicut per gratiam & charitatem fit in nobis mirabilis quedam circumfusio seu mutua Dei in homine, & hominis in Deo existentia, ut antea declaratum est: ita pariter per peccatum fit mutua quedam separatio & elongatio hominis a Deo, & Dei ab homine: cum hoc tamen discrimine, quod circumfusio gratiae & charitatis incipiat a Deo, qui prius hominem diligit, quam ab homine diligatur, ut dicitur 1. Joan. 4. separatio vero mutua que fit per peccatum, incipit ab homine, qui prius detestat Deum, quam ab illo deseratur, ut ex Augustino docet Tridentinum sententiam 6. cap. II.

Cetera quae docet D. Thomas in hac questione, facilita sunt, & ex sola texu lectio percipi possunt. Unde hanc disputationem, & totum hunc Tractatum, his egregiis Augustini verbis, ex libro 1. de Trinitate desumptis, placet concludere. Vbi queritur unitas Trinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sancti, nec periculofius aliquibi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructus eius aliquid innatur. Non pigebit me scibi hasce querere: nec pigebit scibi erro, dicere. Quis quis ergo hoc audit, vel legit, ubi pariter certus est, pergit tecum; ubi pariter habet atque rat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatem viam, tendentes ad eum, de quo scriptum est: querite faciem eius semper.

Diss. 12.  
art. unic.  
in fine.

